

existet, & in foemellis maritandis sollicitabitur, eritq; delitiosus, & dissolutæ cogitationis.

Nono considera quam proprietatem adferant signa gubernatoribus officiorum, cum ea occupauerint. Cum enim gubernatores officiorum fuerint in signis humanis, adiuuant hominem pro sapientia, & perfectione magisterij. In signis quadrupedibus, adiuuant in magisterio metallorum, ædificationum, atq; dolandi. In signis solstitialibus aut æquinoctialibus, adiuuant ad discendas uarias linguas, ac facere uarias translationes. Quare qui hos significatores in istiusmodi signis magisterij habuerit, erit doctus in Geometria, & ductus aquarum de uno loco in alium traducet. In signis quarum figuræ feris assimilantur, adiuuant in magisterio quod in humiditate contingit, ut parare naues & uasa, in quibus humectantia ponuntur omnibusq; rebus, quibus cibaria conduntur.

Decimo, cum Luna in magisterij officio domina extiterit, & post coniunctionem ad Mercurium iuerit, in Tauro, Cancro, uel Capricorno, erit natus sapiens, & immolator, & obseruabit uasa aquarum. Si autem Luna fuerit in Sagittario, uel Piscibus, per mortuos diuinabit, & malignos etiam spiritus de loco ad locum moueri coget. Et si Luna fuerit in Scorpione, uel Virgine, erit Necromanticus, Astrologus, indicabit occulta, & prædicet futura. Si Luna sic fuerit in Ariete, Leone, uel Libra erit propheta sapiens, & somniorum interpres.

Vndecimo, quam utilitatem natus adepturus sit in officio suo, & an in eo permanens sit uel non, pro his considera gubernatores officiorum, qui si fuerint in dignitatibus suis fortes, & in angulis non impediti, & si fortunæ fuerint uel in dignitatibus fortunarum, erit officium nati fixum, commendabile, cum magno profectu, & augmentatione famæ. Sed si infortunæ dominium obtinuerint, erunt nati officia diuersa, despecta, & damnosa, in quibus sæpenumero decipietur. Quod si Saturnus impeditor fuerit, accident prædicta impedimenta ex pigritia nati. Si Mars impeditor fuerit, accidet impedimentum in timore, & fama mala. Si ambo Saturnus & Mars fuerint impeditores, euenient nato mala in uita sua, generaliter autem prædictorum incrementa & detrimenta dinoscuntur ex commixtione stellarum ad inuicem, secundum situm, fortitudinemq; earum, in figura coeli, necnon habitudine, si matutinales, uel uespertinales extiterint. Hæc Ptolemæus.

Cæterum ad qualitatem & perfectionem magisterij indagandam, plurimum conducit morum & inclinationum nati, tam rationalium quam naturalium exploratio & inuestigatio, in qua secundum præcepta artis, hæc ferè sequenda est methodus, quam & regulis & exemplo explicatam paucis hoc loco repetere libuit.

Mores & inclinationes } Rationales } sumunt a } ☿ } & eius dispositore, Qui si fuerint in signis fixis, cõmunius uel mobilius significant, iuxta talia signa.

Si autem fuerint in diuersis signis quoniã tunc oportet facere commixtionem augendo uel remittendo significationes ad inuicem. Semper tamen referuando principales significationes Almuten loci ☿ Almuten ascendentis & Lunæ, Remittendo si contrariantur, Si simulantur significata, adiungendo & coniungendo ut in tali exemplo,

Rationalis